

4715. 1797.9.
**D. CHRISTIANVS GOTTL
BIENERVS**

PROCANCELLARIVS

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

V I R O

PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

IOANNI CHRISTIANO RODIG

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO ET ADVOCATO IN SAXONIA ELECTORALI
IMMATRICULATO

A. D. XXI. DECEMBRIS CICCIICCLXXXVII

H. L. Q. C

SOLEMNITER CONFERENDOS

I N D I C I T

PRAEMISSO OBSERVATIONVM IVRIS PUBLICI ET FEVDALIS

SPECIMINE V.

De originibus Schriftafforum et Amtsaafforum praecipue in Saxonia

P. II.

D. CHRISTIANA GOTLOB
HIERONIMI

... IN AUREO CLOTHO

DE ORIGINIBVS
SCHRIFTASSIORVM ET AMTSASSIORVM
PRAECIPVE IN SAXONIA.

§. I.

*Origines et progressus Schriftassiorum et Amtsassiorum ante Curiam
Supremam Eleitoralem Lipsiae CICCCCCLXXXIII. institutam
narrantur et penitantur.*

In originibus iuris publici et feudali Saxonici rite aestimandis
expendendisque ad illud in primis tempus, quo Curia Suprema
Lipsiensis fundata fuit, respiciendum est. Quod quidem in annum
seculi decimi quinti octogesimum tertium incidere, quo Dux
Saxoniae Ernestus et Albertus, secundum CHRONICON terrae Mis-
nensis apud MENKENIUM T. II. SS. Rer. Germ. et Sax. p. 370. do-
micum Lipsiam transtulerunt, in specimine originum iuris publici
et feudali, de iurisdictione clientelari, tradidimus. Per leges huius
tribunalis partitio illa vassallorum Saxoniorum, ut alii Schrift-
assii, alii Amtsassii sint, in ius scriptum abiit; magnique esse coepit
momenti, atque in iure singulari priuilegiue ponit, esse Schrift-
assium, cum antea hoc institutum moribus regeretur, perindeque,
utrum quis Principi an eius Praefecto subisset, ferme haberetur.

A. 2

Itaque

Itaque hoc institutum primo ex monumentis ante Curiam Electoralem supremam Lipsiae fundatam expendam, deinde quid in legibus huius tribunalis sanctum fuerit, adferam, denique historiam ex legibus ac monumentis post hoc tempus editis persequar.

Qualis olim fuerit et armaturae conditio et vassallorum status in terris, quas hodie Saxonicas, excepta tamen vtraque Lusatia, vocamus, ex iis, quae praecedente specimen in vniuersum diximus, facile intelligitur. Hoc tamen mihi obseruandum videtur, distinctionem illam vassallorum, vt alii regii alii domestici sint habeanturque, in his territoriis non reperiri, sed omnes vassallos certe ab illo tempore, quo Marchiones Misnenenses iisdem prae-fuerunt, territoriales id est bonis atque praediis territorialium investitos fuisse, vt Principi territorioque simul et fidem sponderent et feruitta praestarent. Etenim domestici vassalli in iis praesertim prouinciis cernuntur, quarum Principes Rectoresque magna et late patentia possederunt allodia. Quod si igitur primum ad Marchionatum Misnensem animum intendimus, Saxones Germanie in eundem instituta feudalia seculo decimo intulerunt, Slavis, qui has terras id temporis incolebant, deuictis depulsiisque. Marchiones auctoritate Caesarea ordinabantur, praedia deuictorum vassallis distribuebantur, vtrisque autem, vt fines defenderent, lex dabatur. Quamobrem facile intelligi potest, latos fundos, quibus vassalli domestici alerentur, Marchionibus hic non competuisse. Quanquam successu temporis Marchiones Misnenses sibi adquisuerunt vassallos, formula tamen territorii iam recepta erat, vt non solius Principis, sed Principis et territorii simul essent fierentque vassalli. Landgrauii Thuringiae, vtrum antiquissimis temporibus propriis et a vassallis Caesareis distinctos aluerint vassallos, iam disquirere

non

non vacat; atque ab instituto nostro est alienum, id autem certum et extra dubitationem positum, Thuringiae vassallos omnes territorii fuisse eo tempore, quo ad Marchiones Misniae translata fuit. De terra Plisnensi atque reliquis paulatim in unum corpus redactis non dicam, vna certe vassallorum conditio eo tempore fuit, quo haec terrae cum reliquis coaluerunt. Ex quibus omnibus intelligere mihi videor, quod paulo ante monui, vassallos domesticos non adfuisse in his terris, sed semper pertinuisse ad ipsum territorium, vt aequali iure Principi atque territorio fidem praestarent. Efficitur inde, vt omnes vassalli antiquissimis temporibus immediati, et quos hodie vocamus Schriftsaſſii fuerint, vt Principis iurisdictioni ac imperio soli paruerint, vt consiliis aequi atque armis eum adiuvarent, indeque personam standi in comitiis habuerint. Obligatio militandi pro patria atque Principe ex re olim repeti solebat, vt praediorum liberorum possessores equis, ciues autem pedibus mercerent. Thiedericus Marchio Misnensis secundum CHRONICON montis sereni apud MENKENIVM T. II. SS. Rer. Germ. p. 220. Philippum Regem adiuvuit contra Thuringiae Landgrauium, MD. militibus CM. peditibus, ibidemque p. 359. ad annum 1448. Fridericus Dux Saxoniae validum contra Bohemos exercitum congregasse dicitur, ex nobilibus, burgenib[us] atque militibus; HARTVNGIUS quoque in collectione MENKENIANA T. III. p. 1223. de Guilielmo Saxoniae Duce memoriae prodidit, quod eduxerit fine Grafen Manne und Stedte. Ex quo equidem militiae iure atque obligatione colligere mihi videor, ordinem ciuium in territoriis Saxoniciis ab antiquissimis temporibus pro ingenuo fuisse habitum, quippe soli ingenui militiae capaces erant, deinde iure feudi iam ante priuilegia eius rei ergo ab Augustis Ludouico et Carolo IV. impetrata gauisum fuisse,

fuisse, tum in consultationibus ad vniuersam territorii salutem pertinentibus simul adhiberi debuisse, iurisque publici atque privati aequae atque nobiles participem fuisse. Rustici iure militiae vii non sunt, ideoque semper caruerunt praerogatiis, quarum causa et ratio ex militia pristina repeti debet. Ii, qui feuda rustica merebantur, opem quidem et symbola in exercitu instruendo contulerunt, arma autem contra hostem in cohortes distributi non tulerunt, licet hoste ingruente et agros vrbesque populante, generali omnium subditorum euocatione, ad hostem depellendum etiam rusticos adesse oportuerit. In CHRONICO montis ferrei apud MENKENIVM T. II. SS. Rer. Ger. p. 329. ad annum 1307. auctor ait: *Fridericus et Tizmannus venientes in Leipzig conuocarunt omnem potestatem (Landaufgeboth) ubi venientes nobiles et ignobiles, ciues, milites et rustici armati, parati erant ad debellandum cum Principibus eorum.*

Sed haec de militia pristina sufficient, institutum, cuius origines quaerimus, ex militia equestris repetendum quidem, sed quo anno initium ceperit, expresso monumento aut legè aliqua demonstrare non possumus. Quare necesse est, vt ad argumenta ex pristinis tabulis institutisque ducta configuiamus. Evidem initium in ista tempora incidere arbitror, quibus superioritas territorialis in his terris recepta et firmata fuit. Talia enim instituta sine certo ac stabili proprioque regimine firma et perpetua esse non solent. Quare seculo XIII. exeunte, coepisse et seculo XIV. firmatum fuisse existimo. CHARTA anni 1260 in comitiali placo Colmensi exposita apud MENKENIVM T. II. p. 452. hi subscriptores recensentur: *Theodoricus Misnensis Episcopus, Theodoricus Praepositus de Wurzin, Wernerus Praefectus de Misna, Henricus Praefectus de Litznich, Gerhardus, Prae-*

*Praefectus de Greuz, Erkenbertus, Praefectus de Dewin, Tamno
 Praefectus de Strele — — — — . Locus mihi propter
 frequentem Praefectorum mentionem memorandus videtur,
 atque omnino iure meo colligere inde mihi posse videor, Prae-
 fectos principales iam seculo XII. adfuisse, licet nec de his certum
 aliquid monumentum, quo prima eorum ordinatio atque conditio
 comprehendatur, adhuc reperire mihi contigerit. Id tamen affir-
 mare ausim, non statim ab initio Praefectis principalibus paruisse
 vassallos, sed id ipsum postea temporis demum fuisse institutum.*

Prima et antiquissima tabula in qua dilucide Schriftassii et
 Amtfassii mihi comparere videntur, est *cautio FRIDERICI Bellicosi*
 primi ex gente Marchionum Misnensium Electoris Saxonie, *ordi-
 nibus Ducatus et Electoratus Saxonici anno 1423* exposita. Anti-
 quiores esse huius instituti natales partim ex iis intelligitur, quae
 antea differuimus, partim ex illa ipsa tabula, qua pro re nota et
 iam a majoribus accepta habetur. Verba cautionis apud *GVIN-
 THERVM de priuilegio Saxonico de non appellando p. 90.* haec sunt:
*auch sollen wir noch wollen unser Mannschaft zu Sachsen mit Dinslen
 uswendig unsfern Landen nicht beschweren, es geschehe denn mit irem
 Willen, auch wenn wir dieselben unser Mannschaft zu Dienst verbo-
 ten werden das fallen wir oder unser Antman thun schriflichen, es ge-
 schehe denne, das gehelinghe Warnunge queme, dass das nicht gesein
 kundte.* Hic locus nos docet, vassallos ducatus Saxonici ultra
 fines territorii educi non oportuisse, alias eorum fuisse im-
 mediatos et soli Principi subiectos, alias mediatos Praefecto
 paruisse, vtrosque autem ad seruitia feudalia scriptis euocari
 debuisse aut a Principe aut a Praefecto, nisi vrgens necessi-
 tas aut calamitas id ipsum impedierit. Ex quo quidem loco ve-

ram

§

ram intelligi rationem, cur illi auf Canzelleyschrift, hi auf Antischrift federe dicantur, arbitror, istamque appellationem ab euocationibus vassallorum ad seruitia feudalia repeti debere, quamvis successu temporis id magis de legum, edictorum, rescriptorumque, quid? quod citationum insinuationibus accipere et interpretari placuerit.

Seculo XIV. totum exercitum Capitanis instructum ideoque in turmas cohortesque distributum fuisse, omnibus autem ipsum Principem aut vice eius et auctoritate Capitanum generalem praefuisse, ex variis locis cognoscimus. In CHARTA anni 1344, Leucopetrae exposta apud KREYSIGIVM in symbolis ad historiam Saxoniam p. 127. recensetur inter testes: Fridericus de Schonberg Dominus in Pyrzenstein, (Lichtenstein) Capitanus noster. In CHRONICO terrae Misnenis ad annum 1426. apud MENKENIUM T. II. p. 336. haec traduntur: anno domini 1426. absente ipso Duce Friderico, Bohemi magnum congregauerunt exercitum aduersus Misnenses. Ducissa vero uxor Friderici similiter misit contra eos multitudinem magnam sub Dueibus exercitus et comitania multorum nobilium. Committentibus itaque bellum occubuit pars Misnenium, in quorum exercitu melior et maior pars nobilium, comitum, militum et baronum terrarum Misniae, Thuringiae et Orientalis terrae interiit, et hoc per traditionem nobilis Thuringi, dicti Appel Vitzthum, cui maior cura exercitus commissa fuit, tanquam superiori Capitaneo. In hoc loco id vnum obseruari velim, Duces exercitus adfuisse, exercitu autem Nobiles cum vassallis suis non comprehendi, his omnibus tandem Capitanum praefuisse generalem absente Principe, qui si praefens fuisset, ipse forte Dux et Capitanus generalis exercitum vassallosque eduxisset suos.

§. II.



§. II.

*Regnantibus per Saxoniam Ernesto et Alberto, ut alii vassalli soli
Principi alii Praefectis principalibus parerent legibus scriptis
fancitum fuit.*

Electoratu Saxoniae ad Marchiones Misnenses translato, ius Saxoniae publicum et feudale cum vniuersa territorii formula incrementa capere atque adolescere, neque dubito quin institutum hoc, de quo querimus, iidem temporibus consummatum perfectumque fuerit. Cognoscimus certe atque reperimus Ernesto et Alberto Saxoniae Electore ac Ducibus regnantibus alios vassallos Principi, alios praefectis obtemperasse, ita ut huius partitionis non in rescriptis legibusque publicandis, sed etiam in diuisionibus terrarum ratio haberetur. Principes in *Ordinatione Provinciali anno 1482.* edita apud **RUDOLPHVM P. V.** Goth. Dipl. p. 239. et **T. I.** Cod. Auguſt. p. 12. se hanc legem transmisſe aiunt: *allen Prälaten, Grafen, Herren, der Ritterschaft, denen Städten und unsfern Amtleuten als das Herkommen und den wir in andern Sachen zu schreiben pflegen.* Itaque ipsi Principes hanc iuris publici partem ex moribus maiorum existimant, vt si qua olim lex aut constitutio eius rei ergo extiterit, obliuione deleta, res ipsa autem ad posteritatem propagata fuerit. In diuisionibus territorialium alii vassalli nominatim recensentur, alii cum praefecturis in folle commemorantur, illi fuerunt immediati seu Schriftſtallii, hi mediati seu Amtsſtallii, illorum matricula penes Principem, horum recensio penes singulos praefectos fuit. Quod ne sine omni auctoritate dixisse videar, celeberrimam illam inter Ernestum et Albertum anno 1485. institutam diuisionem excito, cuius monumenta, praeter alios, edidit **LÜNIGIVS P.**

B

Spec.

Spec. Cont. II. p. 239. seqq. In litteris ERNESTI enumerantur primum multi vassalli, qui nominatim eius portioni addicuntur, deinde sequitur generalis clausula: *mit aller andern Ritterschaft und erbern Mannschaft, die zu den vorgerührten Aemtern im Lande zu Thüringen, Franken und Meissen zu diesem Theile gehören, und auf unser Amtleute Auffordern dienen müssen, idem fit in Charta ALBERTI p. 242. vbi ita legitur: mit aller andern Ritterschaft und erbern Mannschaft, die zu den vorgerührten Aemtern im Lande zu Meissen, Osterlande und Thüringen zu dem ersten Theil gehören und auf des Amts Fordern dienen müssen. Würden auch die Grafen, Herren, Ritter und Knechte, die mit ihren Graffschafsten, Herrschaften, Gütern und Sitzzen zu dessen Theil geordnet und gesetzet sind, Güter in dem andern Theil haben, wovon die wären, die sollen sie von demselben, unter dem sie gelegen sind, zu Lehen empfangen und mit Bestellung des Dienstes, so viel sich von solchen Gütern zu dienen gebühret, verdienen.* In hac diuisione forte euenerat, vt nobilissimi vassalli de Hopfgarten, neutri portioni adscripti aliquanto post intelligerentur; inter vtrumque Principem igitur quæstio de his ipsis mota, amicabiliter tamen composita fuit.

Ante hanc partitionem territoriorum iidem Principes Curiam Electoralem supremam anno 1483. communi consilio impensaque hic Lipsiae instituerant, in quo quidem tribunal fundando eiusque iurisdictione definienda non potuit non gradus iste vassallorum in considerationem cadere. Nulla lex aut constitutio, qua prima illius tribunalis ordinatio comprehendatur, adhuc edita fuit, quae vtrum iniuria temporis perierit, quippe maximo historiae patriæ detrimento tribunal tam antiquum, tam illustre et tanti in vniuerso Saxonie iure tam publico, quam priuato ac feudali momenti,
certo

certo ac stabili archiuo vsum non fuit, an ipsum hoc iudicium anno 1483. sine lege scripta, quod tamen animum meum inducere non possum, fundatum et ordinatum fuerit, vt prima eius constitutio quasi periculi instar haberetur, dicere non ausim; quidquid sit, nostra certe res in vado est, ORDINATIO enim exstat ALBERTI Ducis Saxonie anno 1488. promulgata et apud GÜNTHERVM c. l. in appendice num. 5. edita, vbi p. 99. sub rubro: *wer für unser Oberhofgericht geladen fall werden*, haec constituuntur: alle beschloßne oder andere Edelleute, dy in dy Amt nicht gehören und also dy den Insunderheit auß unser Cancellley geschrieben wirth, Item eyn itzlicher Rath unser Stede oder Merckte, so ferne dy eynem Amptmann nicht underwurffen seyn. Also sollen unser Edelleute oder Erbermanne, dy in Stedtenn nicht besessene Burger seyn, vor ör Gerichte öres Ampts adder vor örem Amptmann, dahin sy gehoeren, gezogen werden, Es were dann, daß der Erbermanne auß rechter Ursache den Amptmann zuv eynem Richter nicht dulden welle, alsdann fall er auch ane Mittel vor dißem unsern Oberhofgerichte gestehen. Itaque hac functione pro re nota acceptum fuit, vt alii vassalli Principi ali Praefectis eius obtemperarent; illis igitur nunc forum adsignabatur Curia suprema, hi pristinam retinebant conditionem, nisi ex singulari caussa praefecti iurisdicton impediretur. Qui autem ipsi Curiae, qui singulis Praefecturis subiecti fuerint, lex non recensuit, ideoque id ipsum ex moribus existimatuerit oportet. Exstat quidem matricula praediorum Schriftsassorum in Curia Electorali, sed an haec tempora attingat, valde dubito, quemadmodum matriculae Praefectorum neque satis tutae sunt, neque definiri potest, a quo profectae fuerint. Fortassis alia occasione de his matriculis dicam, plane enim praeteriri et quasi nullius utilitatis explodi non debent.

debent. Ordinatio allegata de competentia fori haec generaliter
 fanciuit: daß dy zwey Hofgerichte zcu Dresdnen und Eckersperge
 abegethan werdden und daß sunſt alle andere Gerichte in Landenn in
 örenn altherkommen Rechten und Wefen bleiben, also das ein itzlicher
 zuerſt vor dem Gerichte, do er von alter Dienſtpflichtig geweſt unnd
 hyngehört, gefucht und vor diß Gerichte nicht geſcogene werdde, Es
 fey dann durch rechtliche Beschwerunge Appellationen adder das öm
 ſonß Rechts vor ſeyn Gerichte gewegert wurde; ſunſt fall zuerſt Ny-
 mants vor dyſſen Gericht zcu antworten pflichtig frys, denn alleyne
 dy ane Mittel uns zcu rechtfertigen zuſtehen und keynem andern Ge-
 richte underworffen und dienſtpflichtig ſein. Id vnum in his locis
 obſeruari velim, competentiam vafallorum ex obligatione feru-
 tiorum feudalium definiri, vt eidem iudici pareant, cui feruiant.
 Quae quidem omnia, origines huius instituti ex priftina militia
 clientelari repeti debere, ſatis declarant, idque etiam ex aliis ſecu-
 lorum ſequitorum legibus lucidiflumne infra apparebit. Nouam
 Curiae Supremae Lipsiensis ORDINATIONEM coniderunt Principes
 Saxoniae Fridericus Elector, atque Ioannes et Georgius Duceſ,
 quam in annum 1493. incidere nunc extra dubium eſt; KREVI-
 GVS P. I. Spicilegij diplomatici eandem edidit, vbi p. 29. haec ſta-
 tuuntur: Daſ auch alle unſere Graffen, freyhen Herren, Rittere und
 Edellente, die den Amtien nicht underworffen, adder die auf ſunderliche
 Schrifte unſer Canzeley ſitzen, auch alle Rethen unſer Stedte und Rich-
 ter, die keynem Amt zugethan ſeyn, moegen vor diß unſer Ober-
 hoffgericht geladen und daſelbſt gerechtfertigt werden. Eadem repe-
 tuntur in nouiffima ORDINATIONE Curiae ſaepe dictae a Mauricio
 Electore anno 1548. promulgata, cuius tamen verba, cum haec
 constitutio T. I. Cod. Auguſ. p. 1284. comprehendatur, adscribere

non

non iuuat; id vnum monebo, ab hoc demum tempore inualuisse,
vt istud tribunal diceretur Electorale, cum antea Ducale fuisset.

§. III.

*Observationes nonnullae ad origines Schriftsaſſiorum et Amtſaſſiorum
illuſtrandas.*

Ambiguitas omnis atque incertitudo euanesceret, si qua lex aut monumentum coaeuum de distributione vassallorum in Schriftſaſſios et Amtſaſſios extaret, quibus quidem deficientibus multa coniecturis adsequi debemus, quae si probabilia ſunt et reliquis documentis temporumque ac historiae rationibus congrua, pro veris habere possumus, donec certius aliiquid atque ad ipsam rem adcommodatiſ demonſtratur. Itaque quaerere iuuat, quo modo factum fuerit, vt haec praedia neque alia Schriftſaſſica et Amtſaſſica fierent, vtrum aliquam et quam regulam? Principes in hac distributione fecuti fuerint. Equidem regulam stabiliri oportere arbitror, vassallos dominosque, qui alios clientes, plures paucioresue nihil refert, ad suum Principisque seruitium eduxerunt, ideoque proprio signo vii fuerunt, immediatos mansisse, reliquos autem, qui ſoli beneficium merebant praefectorum imperio ac iurisdictioni secundum ſitum praediorum fuiffe addictos. Cum enim necessitas aut certe utilitas fuaderet, vt promifca vassallorum turba in ordines describeretur, imperium praefectorum principalium recuſare non poterant vassalli, qui proprio signo ac clypeo militari non gaudebant, quod e contrario per iura medii aeui in iis, qui clientes ſub proprio signo clypeoque Principi adducebant et turmam in exercitu conſtituebant, fieri non poterat. Hi enim iure clypei militaris

muniti imperio alterius sine iniuria subiici non poterant. Clideo enim minuti fuissent, quod per iuris feudalis rationes fieri non debebat. Quamobrem singula etiam feuda, modo alios eduxerint vassalli, Schriftfassiatum nacti fuerunt. Per Misniam autem atque Thuringiam singulos vassallos, alios aliisque, qui ipsis pace belloque seruirent clientes, in *COMMENTARIIS de origine et progressu legum iuriuumque Germanicorum P. II. Vol. II. p. 28.* ex monumentis medii aevi enarrauimus. Vnum addam exemplum. ERPHURDIANVS antiquitatum variloquus apud MENKENIVM T. II. p. 477. eodem anno, inquit, in villa Halla occiduntur a ciuibus Conradus de Eichflete, Adelbertus et Erido duo fratres cum suis militibus. Itaque ex pristina feudi praediique conditione ac statu promi debet ratio, ex qua Schriftfassiatum meruerit vnum, alterum praefecti cuiusdam signo subiectum fuerit praedium.

Rem ex moribus iuribusque hodiernis existimanti dubium videri possit, an sine iniuria nobiles vassalli praefectis subiici et ut ab iisdem imperium susciperent, compelli potuerint; sed velim memineris seculo XIV. et XV. inter equites et ingenuos parum discriminis intercessisse, si dignationem ex munere militari in illos redundantem excepisis, deinde obseruandum, quod ESTOR *Observ. Iur. Feud. cap. 36.* iam monuit, praefectos ex nobilibus saepe fuisse electos, ut taceam hoc munus licet hodieque sit honorificum, istis temporibus longe maioris fuisse dignationis. Praeterea haec ipsa ordinatio non ad ipsum feudi nexum, qui penes Principem remanebat, quo non praefectorum, sed ipsius Principis essent vassalli, sed ad seruitia feudalia, de quibus domino statuere fas erat, pertinuit; accessit quidem iurisdictio, sed ista tempestate in beneficio positum fuit, certum nec longe remotum habere iudicem, ut inde impe-

impedimentum non oriretur. In reliquis enim iuris articulis, more maiorum Schriftfassii aequales manferunt. Vnum locum ex lege recentiore, antiquitatem tamen vsumque simul publicum egregie exprimente, addam. **AVGVSTVS** Elector in securitate publica tuenda seruitiorum etiam feudalium rationem habendam statuit, sanxit igitur inter alia anno 1555. **T. I. Cod. Angust. p. 57.** de Schriftfassii: *dass ein jeder, so uns mit Ritterdiensten verwandt, sich mit guten Pferd und Knechten zum wenigsten in der Anzahl, damit er uns zu dienen schuldig, quo patet Schriftfassios in seruitium militare alios adduxisse, auch guter Rüstung gefaßt mache, deinde articulo: von Auslösung der Amtsoffen. p. 63.* statuit: *wir ordnen und befehlen, wenn hinführte die Amtsoffen zu unsern Diensten in die Aemter erfordert, daß sie mit Futter, Mahl oder gebräuchlicher Auslösung versehen werden, wie solches an einem jeden Orte vor alters gewesen und Herkommen ist. Es soll auch ein jeder Amtmann schuldig seyn, sie in unsern Dienst persönlich zu führen, würde er aber durch unsere Geschäfte oder sonst aus ehehafter Noth daran verhindert, so soll er solches einem von Adel zu thun befehlen.* Itaque tot turmae cum signis adfuerunt, quot numerabantur praefecti atque Nobiles immediati, qui omnes Principi aut eius Capitaneo parebant.

Constat atque uberior in libello *de ciubus praesertim Saxoniciis feudorum equestrium capacibus traditum fuit*, ciues Saxoniae tam more maiorum, quam priuilegiis Augustalibus, meruisse feuda, ideoque haud incongrue queritur, primo an secundo ordine militaverint? Schriftfassii, an Amtfassii fuerint? Evidem feudi conditionem spectari debere arbitror. Antiquo enim et medii aevi iure ingenuus feudum merendo ad dignationem equitis euehabatur, vt adeo secundum feudi conditionem existimaretur. Quod ius

ius, quanquam paulatim desit, remansit tamen mos maiorum, ut
ciuis ingenuus feudum mereretur in eo ordine, cui hoc adscriptum
fuerat. Obligatio praeterea ex re oriebatur, quo omnino factum fuit,
ut ciuis praedii Schriftfassici possessor turmam clientum suorum edu-
cere atque alii vassallis imperare potuerit. Itaque eorum sententia
vix commemoranda ac refellenda videtur, qui feuda a ciu-
bus olim possessa praefecturis adsignata fuisse autemant atque
inde huius instituti origines arcescunt. Posset quidem in hanc
rem excitari Ordinatio Curiae Electoralis supremae, supra
allegata, qua vassalli Amtfassii *Erbarmanne* dicuntur, quod
elogium ciuibus in primis tribui solet. At enim haec vox saepe
pro elogio equitum ponitur, ut virtus ipsorum et vitae honestas
significetur, quod pluribus exemplis firmavit *METTINGHIVS de*
statu militiae Germanorum p. 573. et *HALTAVS Gloff. Germ. v. Er-*
bar. Incidit in manum appendix Germanica *CHRONICI Vetero-*
cellensis apud MENKENIVM T. II. p. 429. qua *Edelleute et Mannen*
salutantur *erbare Lewte.* Sed haec hactenus, quae supersunt, alia
occasione promam; munere potius ab Ordine Iureconsultorum
Illustri, mihi demandato fungar. Decreuit nimirum Ordo modo
laudatus

VIRO

CONSULTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

IOANNI CHRISTIANO RODIG
FIRNENSI

ADVOCATO IMMATICVLATO ET IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO

Summos vtriusque Iuris Honores. Vitam ac studia Ipse his ver-
bis complexus est:

Natus

Natus sum Pirnae d. 23. Martii A. MDCCCLXXII. patre **FRIDERICO GOTTLOB**, Accisorum Insp ectore et causarum patrono, matre **CHRISTIANA CAROLINA**, ex gente **SCHEIBNERIA**. Quibus quidem optimis parentibus educationem singulari cura institutam debo. Initii christiane religionis et linguae latinae a **FRITSCHIO**, AA. M. nunc ad aedium monasterii in vrbe patria Pastore, imbuto et postea magistrorum scholae publicae Pirnen sis, Frankii, Rectoris, et Lommachii, Correctoris, disciplinae traditus, eo perueni, vt A. MDCCCLXXXV, Afraneo, illustri scho lae prouinciali committi possem. Hic per annos quinque et dimidium usus sum praceptoribus **MATTHAEO**, **MILLERO**, **TZSCHUCKIO**, **HEINRACHIO**, **SCHREGERO** atque **LVIDICKIO**, quos omnes propter multa eademque egregia in me merita semper grata mente recordababor.

A. MDCCXCI ciuis Academiae Lipsiensis, Rectore **BECKIO**, factus, Tcholis philosophicis **SEYDLITTI**, **PLATNERI** atque **WIELANDI** interfui, historiam iuris a Summe Reuerendo **RAV**, didici, ius publicum me docuit Illustris **BIENER**, iuris criminalis cognitionem Magnifice **ERHARDO** debo, reliquatum iuris disciplinarum causa **HABEGOLDI**, **ECHOTTO** et **STOCKMANNO** adsedii, quo facto discendi cupiditate ductus, adii **HEDWIGIVM**, **HINDENBURGIVM**, **FISCHERVM**, **LEONHARDVM**, Oeconomum et alios, eosdemque rerum naturalium doctrinam exponentes audiui. Praeterlapso hac ratione triennio; defensis, praeside **ERHARDO**, iuris thesibus quibusdam; ab Ordine Iureconsultorum Lipsien-

fium, superato, quod vocant, pro praxi examine, optimo elogio ornatus, Academiae vale dixi.

Iam id agere debebam, ut iurisprudentia in foro vti discerem. Itaque, Caesarei Notarii publici munere praeditus, a Principe Electore Serenissimo petii, ut institiae in praefectura Lipsiensis, praefide venerandi senis Illustris BLVMNERI, administrandae interesse possem: cuius quidem voti, nomine simul Actuarii secundarii insignitus, compos factus sum. Postea vero, iisdem rationibus, illud iudicium Lipsiense cum Pirnensi Illustris MERRMANNI curae mandato commutare debui.

Ex eo inde tempore, cum exhibitis et a Supremo Regimine approbatis speciminibus consuetis, eorum numero, quibus in Saxonia licet causas in foro agere, adscriptus essem, per hos tres annos tam consiliis quam causas agendo eos, quibus sunt in iudiciis negotia, pro viribus soleo iuuare.

Redux ad nos ytriue examini, vni, quod pro Baccalaureatu, alteri, quod pro Doctoratu obtinendo sustineri debet, se subiecit, quibus feliciter superatis, dubitare non potuimus supremam iuris lauream ipsi decernere. Itaque lectione cursoria L. 28. C. de vfris, die XX. Decembbris hora II. pomeridiana in Auditorio Iureconsultorum illustrabit et die postera disputationem: *de iure iurando malitia*, horis antemeridianis Praefide D. Christiano Daniele Erhardo Acad. h. t. Rectore Supremae Curiae Adseffore et Institutt. P. P. O. defendet, quo facto Vir Summe Reuerendus atque Illustris CHRISTIANVS RAV, Iureconsultus, Capituli ecclesiae cathedralis Merseburgensis Capitularis, Curiae Electoralis supremae atque

Fa-

Facultatis Iuridicae Adsestor, Codicis Iustinianei P. P. O. Academiae Decemuir, Summos Vtriusque Iuris Honores cum omnibus iuribus atque priuilegiis, sola spe succedendi in Ordine Nostro excepta, Candidato confutissimo conferet.

Quae quidem omnia, vt illustriora reddantur; rogamus decenter, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSSISSI MI ATQVE PRAENOBILISSLIMI huic solemnitati adesse velint:

P. P. Dom. III. Adventus Christi CIOCCCLXXXVII.

LIPSIAE

EX OFFICINA SAALBACHIA.




Leipzig, Diss., 1797

X 2309032

6078





4715
17979

D. CHRISTIANVS GOTTL BIENERVS

PROCANCELLARIVS

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

IOANNI CHRISTIANO RODIG

IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO ET ADVOCATO IN SAXONIA ELECTORALI
IMMATRICULATO

A. D. XXI. DECEMBRIS CICICCLXXXVII

H. L. Q. C

SOLEMNITER CONFERENDOS

I N D I C I T

PRAEMISSO OBSERVATIONVM IVRIS PVBLICI ET FEVDALIS
SPECIMINE V.

De originibus Schriftafforum et Amtsaafforum praecipue in Saxonia
P. II.